

similia se extendit, quæ simul sub hoc nomine dicuntur, non tamen *collectivè* sed *distributivè*: ita quidem, ut omnibus ex æquo conveniat hoc nomen, & quodvis totam ejus *vim*, & *valorem internum*, totaliter in semet ipso complectatur. (Ita Mineralitatis vim omnem & filix & metallum, & gemma, quodlibet totaliter, possidet) ut *vim* Generis *externam*, nimirum amplitudinem illam externæ Consignificationis, nullum singulare prætereundere possit.

§. 10. Duplex igitur est *Genus*,

1. *Internum*, sive conceptus unitatis in quavis re, quæ pluribus est similis, quatenus est unum ex illis; &

2. *Externum*, nempe conceptus multitudinis omnium similium, sed indefinitus, rationem unius Commerci, non Collectivi, sed Distributivi, nomine singulari referens, & sic *Unum*, sed *versale* seu magnum & relativo-distributivum h. e. *Universale*, constituens.

§. 11. Intelligitur hinc, quod pura suppositio Corporis quatuor denominationes numericas Corpori largiatur,

*Binas ad intra*, dum partes corporis, ita pure h. e. intrinsecus indistinctè se sistunt

1. *Sine discretione*, dicunturque *MATERIA*, tanquam *Essentiale principium* Corporis constitutivum, ut numerus indiscretus.

2. *Cum discretione*, cum extrinsecâ distinctione (quam puritas & essentialis indistinctio non excludit) dicunturque, *NUMERUS*, nempe Multitudo, Congeries. Copia discretè spectata.

*Binas ad extra*, dum totum Corpus ita purè se sistit

3. *Seorsim*, ut *UNUM ex Numero* similium, quod est conceptus genericus in Corpore; vel conceptibilitas indistincta, quæ, cum distinctivâ conceptibilitate (cum differentiâ) q. s. concreta constituit Speciem certam, tanquam Ideam Corporis completam.

4. *Junctim*, ut *IDEM* cum reliquis similibus, *sub uno genere* comprehensis, quod est conceptus Genericus, ipsumque Genus extra Corpus, ut abstractum & Universale, tanquam quid extra Corpus cadens, ita tamen ut in artificio compendiosè multa cognoscendi concipiatur, ut *Causa Materialis*, ex qua Corpus (idealiter) constitutum & adhibito simul certo modo, (saltem quoad Idealem & signatè spectatam Essentiam,) compositura intelligitur.

§. 12. Sicut enim ex argillâ, quatenus adhuc extra ollam